
Theses philosophicae.

Numéro d'inventaire : 1979.26592

Auteur(s) : Antoine Stéphane Goiffond

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Orléans)

Imprimeur : Couret de Villeneuve

Période de création : 4e quart 18e siècle

Date de création : 1780

Description : Une feuille de papier vergé filigrané. Papier jauni, froissé et taché. Traces de pliures. Perforation en haut de la feuille. Bords froissés et déchirés. Texte imprimé. Armoiries en haut de la feuille.

Mesures : hauteur : 505 mm ; largeur : 400 mm

Notes : Affiche annonçant les thèses de philosophie que doivent discuter, en acte public, quatre étudiants du collège royal d'Orléans, le samedi 20 mai 1780. Les thèses définissent deux modes de connaissance, la révélation et la raison, puis le champ d'application de la raison, qui est la philosophie, divisée en physique, métaphysique, psychologie et logique. Les noms de Pyrrhon, Bayle, Leibnitz et Descartes apparaissent dans les articles.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Enseignement secondaire pour les jeunes filles

Niveau : Supérieur

Nom de la commune : Orléans

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1

Lieux : Orléans

D. O. M.

THESES PHILOSOPHICÆ.

PRIMA.

DUPLEX tantum cognoscendi modus, scilicet ratio & revelatio. Hinc omnium scientiarum Genesis: Ex revelatione Theologia, ex ratione prodit Philosophia. Juris itaque philosophici dicantur ea omnia quæ per solum rationis lumen apprehendi possunt: hinc in tenui labor est eorum qui circa Philosophiæ definitionem quasi pro aris & focis æternum digladiantur.

II.

NEC sibi, nec rationi concors Pyrrhonii delirantis opinio: suam ædificando destruit, nostram destruendo ædificat; existit enim Philosophia, quam impugnando probat, instando confirmat, urgendo demonstrat.

III.

SUBJECTUM Philosophiæ mens humana certitudinis capax & stenax. Motivum ipsius infallibile multiplex: nimirum sensus intimus & evidentia, imò quibuscumque in circumstantiis sensuum ac hominum relatio. tandem in omnibus etiam supra captum positis revelatio divina.

IV.

ERGO ad rationis lancem non sunt trutinanda Religionis Christianæ mysteria, quidquid molitur malè fecunda Baylii sagacitas: ratio fidei semper famula, quandoque comes, nusquam inimica.

V.

OBJECTUM Philosophiæ spiritus & corpora, hinc accuratissima totius Philosophiæ in Metaphysicam & Physicam distributio; vulgaris divisio solà canitie commendanda.

VI.

METAPHYSICA scientia spirituum. Eo nomine communius insigniuntur solæ intelligentiæ rationales, Deus, Angeli & mentes humanæ. Cum autem circa Angelorum existentiam ratio fileat, bipartita efflorescet Metaphysicæ divisio in Psychologiam & Theologiam naturalem.

VII.

PSYCHOLOGIÆ objectum mens humana, quam si existentem neges, existentem clamas; describatur substantia essentialiter spiritalis & incorporea, simplex & indissolubilis, activa & libera, meriti & demeriti capax, regendo corpori nata: ipsi infundenda creatur, creata statim infunditur; gratis ergo conficta metempsychosis, sacrilegum divinæ substantiæ effluvium, chymica ex traduce propagatio, evanidi cerebri commentum anima mundana.

VIII.

CREATI ingenii transvolat acumen arctissima corporis & animæ compages. Jamdudum vilescit entitatum rugosa majestas: sublime delirantis opus harmonia Leibnitzii præstabilita: problema credimus insolubile; miros tamen illius effectus non infeliciter explicant assistentiæ patroni.

IX.

INTER cæteras animæ facultates duplex insignior eminet, nimirum intellectus & voluntas. Intellectum ad veritatem dirigit Logica, voluntatis actus honestati conformabit Ethica.

X.

DE ideis primùm differunt Logici. Circà ipsarum originem Arnaldo suffragari malim: nullas tamen cudit anima, omnes haurit à Deo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

XI.

JUDICIUM actus mentis simplex, non mera sensatio, voluntatis factus. Ipsi interpretis propositio quæ omnis est vera aut falsa, negans aut affirmans. Propositiones contradiçtorie verè oppositæ; potest simul competere subalternis veritas & falsitas, sub contrariis veritas non falsitas, contrariis falsitas non veritas, neutra contradiçtorii.

XII.

INNATAM cuique discurrendi facultatem quis eat inficius: hinc non tantæ utilitatis, quanquam ingeniosissimæ syllogismorum regulæ. Methodus duplex analytica & synthetica; neutram floccipendat discendi & docendi cupidus. Carthesianâ etiam philosophandi ratione quasi lapide lydio veritatem sedulus explorabit inquisitor, hanc tamen in rebus supra captum positis usurpari nolim.

HAS THESES, Deo duce & auspice, Dei-Parâ Virgine, tueri conabuntur, horâ sesqui-secundâ

Die Sabbati, 20â mensis Maii anno Domini 1780.

ANTONIUS-STEPHANUS-GOIFFOND, Clericus Aurelius.

JOANNES-PHILIPPUS MICHAU, Clericus Aurelius.

MICHAEL RUZE, Pithueriensis.

ANDRÆAS-AUGUSTINUS DUFOUR, Aurelius.

Lycæum aperiet, FRANCISCUS-XAVERIUS JEUFFRENET, Clericus Balgentiacus.

Arbitrè erit STEPHANUS-MICHAEL LEBLOND, in supremâ Parisiensi Curia Patronus, jurisuriusque Doctor & Philosophiæ Professor.

In Aulâ Regii Aurelianensium Collegii.

PRO ACTU PUBLICO.

AURELIÆ, ex Typis COURET DE VILLENEUVE, Regis Typographi, in viâ Regali, 1780.